

CONCLUSIO

Absoluimus nunc, & ex animi Sententia ad finem diduximus hanc de insigni illa Anni 1577 cincinnata Stella lucubrationem, in qua, veluti ab initio polliciti sumus, ex certis & multiplicibus cœlitus factis Observationibus, restitutis prius earum quibus operat affixarum Stellarum locis, & per Triangularem supputationem inquisitis Cometæ Longitudinibus & Latitudinibus, iisdemq; in Ascensiones Rectas & Declinationes resolutis, inuestigata etiam inde proprii ductus Cometæ habitudine, tandem Parallaxeos eius perscrutationem, & Caudæ ductus rationem, capacitatisq; illius, vbi inter Æthereos Orbes per correspondentem Hypothesin commodè & sine aliquo obstaculo conuolueretur, inuentionem, vnaq; magnitudinis Capitis atq; Caudæ mensurationem, affatim & luculenter exposuimus. Quæ omnia Nouem prioris Partis Capitibus ita complexi sumus, vt quæ è proprijs nostris Observationibus deriuanda censuimus, ijs comprehendantur. In Altera verò Parte, quæ vnico Capite Decimo continetur, aliorum Animaduersiones & placita, tum eorum qui Cometam hunc Superlunarem fuisse, & in Cœlesti Mundo exortum, nobiscum verissimè astruxerunt: tum etiam illorum, qui Elementaribus sedibus eum attribuere minùs competenter conati sunt, expendimus.

Fui autem in hac Posteriori Parte seu Decimo Capite aliquanto copiosior. Video enim illud vnicum cætera Nouem sua prolixitate excedere. Quæ immoratio tametsi quibusdam longiuscula videri possit: nihilominus tamen apud harum rerum cupidos & gnaros, consilium hoc nostrum excusationem suam facile merebitur. Nam paucioribus in tot Autorum tam diuersimoda Scripta sufficiens dilquisitio absolui non poterat. Nec placuit posteriorem partem in plura secare Capita; quemadmodum in antecedente Libro de Noua Stella fecimus, ne Denarium in his numerum,

M M M

merum,